

riticamente quales pueden ser causas justas, y quales pretestos voluntarios, y refugios de la ley. Dios guarde." &c. = El Pardo 29. de Enero de 1788. = *Antonio Obispo Patriarca Vicario general de los Ejercitos.*

158. Ex quibus habes, qui milites sint privilegiati, quibus diebus jejunare tenentur, ad quos extendatur indulgentia promiscuandi, quid faciendum tempore belli, quid feriis sextis, sabbatis quadragesimæ, & tota majori Hebdomada, quid tempore infirmitatis, vel indispositionis militum diebus prohibitis, quid denique in casu dubii. Hæc omnia intelligenda sunt secundum presentem disciplinam.

159. Advertant tamen milites, maxime opibus potentes, plenamque commodis ducentes vitam immunes esse ab his præceptis; non tamen à necessitate poenitentiam agendi, Deo pro peccatis satisfaciendi, exemplum que fidelibus dandi. Sciant omnes jejunium vitia comprimere, mentem ad superna elevare, virtutem largiri, & præmia: uti alta voce canit militans Ecclesia, ut omnes eam audiamus, omnesque, ut Christi milites, jejunemus, jejuent ergo pro peccatis, qui liberi prædicantur a legibus.

## CAPUT V.

### De decimis, & primitiis.

**A**ccedimus ad explanandum quantum Ecclesie præceptum, in quo jubetur solvere decimas, & primitias. Igitur in hoc capite exponendum est, quibus, a quibus, ex quibus, & sub qua poena solvenda sint decimæ, & primitiæ, ac per doctrinæ connexionem, etiam circa oblationes quidquam discutiemus, sequentes mentem D. Thom. 2. 2. q. 85. & seqq.

## PUNCTUM I.

### De natura, divisione, & præcepto decimarum.

160. Inq. 1. Quid sit decima? R. Quod est pars decima omnium fructuum Deo in recognitionem supremi domini debita, atque Ecclesie ministris solvenda. Differunt decimæ a primitiis, primo, quia decimæ tri-

buuntur in recognitionem domini universalis, & supremi Dei; primitiæ vero principaliter in recognitionem Dei auctoris omnium rerum. Secundo, quia decimæ in ministrorum sustentationem, & pauperum subsidium solvuntur; primitiæ principaliter in sigum gratitudinis Deo pro acceptis fructibus offeruntur. Tertio, quia decimæ sunt pars præcisæ decimæ cujuscumque rei; primitiæ autem aliqua pars de primis fructibus a terra productis.

161. Nomen decimarum vix tribus sæculis primis Ecclesie auditum fuit, Deinde voluntarie a fidelibus aliquid pro ministrorum sustentatione offerrebat. Alii ferventiores etiam decimas Deo spontaneè dicabant. Exinde quod tamquam ultronea elemosyna incepti, hortatu, & compulsionem Episcoporum, & Parochorum rationem legis obligantis obtinuit. Nam sæculo quinto, & deinceps jam Episcopi poenarum severitate fideles ad pendendas decimas cogebant. Denique temporis decursu decimarum solutio pro lege universalis sancita fuit.

162. Inq. 2. Quotuplex sit Decima? R. Est triplex, nempe *prædialis*, *personalis* & *mista* ex prædiali, & personali. *Prædialis* dicitur, quæ ex fructibus agrorum, vinearum, olivetorum, montium, & similibus solvitur. Unde non solum ex vino, oleo, & omni frumento solvenda sunt; sed etiam ex herba, & palea, ubi consuetudo opposita non adest. *Personalis* appellatur, quæ oritur ex fructibus, sive actionibus personalibus, seu ex industria personæ, ut negotiatione, mercatura, scientia, arte, militia, & alia quacumque actione personali. *Mista* nuncupatur, quæ ex fructibus, partim ex natura, partim ex industria dimanat: ut ex foetu animalium, lacte, caseo, butyro, lana, ac similibus. Igitur nomine *Decimæ* intelligitur in presenti decima pars omnium, quæ vere acquiruntur, ac juste possidentur: exceptis bonis ex testamento, legatione, donatione, aut alio titulo gratuito acceptis.

163. Inq. 3. An decimæ debeantur jure divino, Vel potius ecclesiastico? R. Partim debentur ex jure divino, & partim ex ecclesiastico. Quoad primum liquet: quia jus naturale, & divinum præcipit tribuere congruam sustentationem illis, qui nobis in spiritualibus inserviunt. Dicitur enim

jus

## Cap. V. De decimis, & primitiis.

jus naturale, quod sicut Ecclesie ministri populo spiritualia præbent, ita populus eis temporalem sustentationem præstet. Quoad secundum etiam constat: quia hoc est quotum Ecclesie præceptum ab universis fidelibus tamquam de fide amplem, definitum in Concilio Constantiensi contra Wicleph *sess. 9.* & innovatum in Tridentino *sess. 25. cap. 12. de reformat.* Constat etiam *ex cap. Ad Apostolicæ 20. de decimis*, & alibi sæpe in eodem titulo.

164. Pro cujus præcepti intelligentia notari oportet: Decimam dupliciter posse considerari: nempe pro *decima sustentationis*, seu generice; vel pro *decima quotiæ*, seu specificæ. Primo modo dicit congruam ministrorum sustentationem: quæ ratione debetur jure naturali, ut diximus. Secundo modo dicit determinate decimam partem fructuum, non octavam, nec nonam. Hoc igitur modo licet in lege veteri debebantur ex præcepto divino positivo, ut liquet *ex cap. 22. Exodi: Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*; verum in lege evangelica non debentur ex præcepto divino, nec naturali: tum, quia aliter quam per decimam fructuum partem valet præstari ministris sustentatio jure nature debita: ut patet in grecis, qui decimas non solvunt, & in pluribus Ecclesiis, in quibus non clerici, sed patrones decimas percipiunt. Tum, quia præceptum illud Exodi, utpote judiciale, in morte Christi cessavit. Igitur præceptum solvendi decimas quoad designationem quantitatis solum est ecclesiasticum. Heinc plures decimæ prædiales, & omnes forte personales, quæ aliquando solvebantur, per contrariam consuetudinem penitus sunt abrogatæ; quod accidere minime posset, si jure naturali, aut divino positivo debeantur.

## PUNCTUM II.

### Quæ personæ, & quibus decimas solvere debeant?

165. Inq. 1. Qui teneantur ad decimarum solutionem? R. Omnes fideles cujuscumque conditionis, & dignitatis teneantur ad decimandum, nisi alias ex aliquo capite excusentur. Quia solutio decimarum ex una parte est actus religionis, quatenus

per earum solutionem recognoscimus omnia a Deo accipere, Deumque esse Dominum supremum, & universalem omnium; ex alia est actus justitiæ, quatenus ordinatur in ministrorum Ecclesie debitam sustentationem. Unde nec Principes, Reges, aut Imperatores liberi sunt ab hac lege: quia etiam ipsi subditi sunt in spiritualibus Pastoribus Ecclesie, ab eis sacramenta suscipiunt; & quo plura a Deo accipiunt beneficia, eo magis ad Dei cultum promovendum adstringuntur, agnoscetes a Deo habere honorem, potestatem, imperium, & quidquid possident, ut optime dicit lex regia Hispaniæ. 1. p. tit. 20. leg. 12.

166. Pauperes, qui sunt in extrema necessitate absoluta, excusantur a solutione decimarum; Illi vero, qui gravi oppressi inopia differunt solutionem, monere debent de sua necessitate Parochum, qui caritate præditus eorum indigentiam providebit. Si autem Parochus decimas eis non remittat, eas solvere tenentur; quando commode possint. Ex jure communi omnes clerici sive regulares, sive sæculares, qui Parochi non sunt, decimare debent ex fructibus laicis: quia etiam ipsi debent a Parocho sacramenta recipere: eo quæ rationem sæculares ad decimas adstringuntur, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 4.

167. Parochi non tenentur de prædiis beneficialibus decimare: quia prædia Ecclesie non sunt ad decimas obligata; esto sint intra terminos alterius Parochiæ, ut docet idem Angelicus, ad 1. Ex bonis vero patrimonialibus; quæ titulo sæculari possident, decimare debent Ecclesie, in cuius jurisdictione prædia sita sunt, & cui antea decimas solvebant, ut expresse habetur in cap. *Si quis laicus, vel clericus 16. q. 1. & cap. Ecclesie, & duob. seqq.* Quod tenet etiam quando ipse est Parochus Ecclesie, cui decimæ debentur, si adsint alii clerici inter quos decimæ dividuntur: quia aliud est aliquid habere ut proprium; aliud ut commune, dicit D. Thom. ubi supra.

168. Infideles nec ad decimas personales, nec ad prædiales tenentur: quia nec personæ, nec eorum prædia subduntur Ecclesie. Si autem aliqua prædia in locis fidelium possideant, tenentur ex eis decimare:

mare: quia hujusmodi prædiis annexum est onus reale decimarum, & ad quemlibet cum suo onere transeunt. *Ex cap. Quanto, de ueris.* Hæretici baptizati ad decimas solvendas tenentur: quia licet nihil spirituale ab Ecclesia recipiant, debent recipere, & ejus ministri parati sunt eis omnia sacramenta sicut aliis ovibus conferre; alias ratione baptismatis subjecti sunt præceptis, & legibus Ecclesiæ. Catechumeni si filii sint infidelium, non tenentur ad decimas: quia fides interna absque baptismo eos Ecclesiæ præceptis non subicit. Si vero filii sint fidelium tenentur ratione originis, seu characteris parentum, & cum ratione legibus Ecclesiæ subjiciuntur.

169. Inq. 2. Quibus decimæ sint solvendæ? R. Quod jure communi solvi debent Episcopis, Parochis, & beneficiariis omnibus, sive canonicis, sive simplicibus: quia licet initio Ecclesiæ omnia bona erant communia, cætuque clericorum ex cumulo decimæ impertiebantur ab Episcopo pro rata laboris, & necessitatis; facta vero divisione, ipsis Episcopis, Parochis, & beneficiariis omnibus debentur; præcisâ alia dispositione, privilegio, seu consuetudine, quibus standum est: quia crescente cumulo decimarum, & decrescente caritate dispensatorum, pro bono pacis ejusmodi assignatio facta est; non solum pro illis, qui sacramenta ministrant, sed etiam pro omnibus, qui ex officio Ecclesiæ in functionibus spiritualibus deserviunt, ut beneficiarii efficiantur.

170. Consuetudo legitime introducta habet vim circa decimas, earumque circumstantias: ita ut solvantur huic Ecclesiæ, & non alteri: vel ut tantum Episcopo, aut Parocho applicentur: vel solum Cathedrali. Unde quando prædia sunt in aliena Parochia, vel animalia pascuntur partim in una, partim in alia; licet de jure decimæ dividi debeant; tamen standum est consuetudini legitime; & idem est de præscriptione: per quam jus percipiendi decimas una Ecclesia contra aliam acquirere valet. Laici ex privilegio SS. Pontificis jus temporale ad percipiendas decimas habere possunt.

## PUNCTUM III.

*Ex quibus rebus decimæ sunt solvendæ.*

171. Inq. 1. Ex quibus rebus debeant solvi decimæ? R. 1. Quod licet jure communi decimæ personales solvi debeant ex omnibus, quæ homo acquirere potest; tamen hoc jus fere univ ersaliter est abrogatum. Unde dixit D. Thom. *loco cit. art. 2. In nova lege tenentur homines ad decimas personales secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum.*

172. R. 2. Quod decimæ prædiales, & mixtæ debentur ex omnibus fructibus rerum mobilium, & immobilium: quia solvantur in recognitionem Dei, qui est omnium Dominus. Nihilominus in pluribus locis ex aliquibus non decimatur, consuetudine in contrarium prævalente. Ex hac etiam provenit, ubi, aut quo loco decimæ sint solvendæ. Nam alii eas ad Ecclesiâ deferunt; alii in prædiis relinquunt. Omnibus tamen suadendum est, ut eas ad Ecclesiæ horrea deferant. Sic Deus præcipiebat Malachiæ 3. *g. Inferte omnem decimam in horreum, ut sit cibus in domo mea.* Idem hortatur Ecclesia in *cap. Decimas 16. q. 7. & alibi.*

173. Decimæ solvi debent ex integris fructibus, antequam tributa, vectigalia, pretiaque operariorum deducantur. Nemo tenetur dare portiones meliores; tenetur tamen ex religione, & ex justitia non dare deteriores; alias restitutioni proportionatæ, penisque decimarum fraudatoribus impositis esset obnoxius. Debet ergo decima tribui ex mediocribus, aut bona fide ex cumulo extractis fructibus. Postquam fructus collecti sunt, statim ac commode possint decimæ solvi debent; alias solvens tardius, quam par est, aut multum differens a tempore consueto, graviter peccat. Quod verum est, etiamsi Parochus eas non petat: nam quilibet tenetur reddere alteri, quod ejus est, etiam creditore non petente.

174. Inq. 2. An ille, a quo fructus surripiuntur, teneatur ad eorum decimas? R. neg. *Nisi forte propter culpam, & negligentiam suam damnum incurrerit.* Sic D. Thom. *loc. cit. art. 2. ad. 2.* Unde si tibi ex prædio, aut area segetes, absque ulla

tua

## Cap. V. De decimis, &amp; primitiis,

tua culpa in eis colligendis, auferantur, ad decimas earum non teneris. Si autem ex prædio, vel domo post moram culpabilem furentur, ad eas obligaris; nisi latro eas solverit. Si vendas triticum, aut quid simile non decimatum, tu, aut emptor obnoxii estis solutioni. Comburentes autem, aut destruentes segetes, arboresve succedentes tenentur solvere decimam, juxta spem prudentum ad eam percipiendam. Desinentes eas sua culpa perire, aut nolentes colligere fructus jam maturos, integre decimas solvere debent. Omittentes vero colere agros, aut eos in domos convertentes, non obligantur ad decimas: quia solum debentur ex fructibus collectis, seu jam jam colligendis juxta spem eorum.

175. Inq. 3. Quam culpam, quasve penas incurrant omittentes decimarum solutionem? R. 1. Peccare contra justitiam, & religionem: qua ratione omissio solutionis decimarum appellatur *sacrilegium* in jure canonico. Resp. 2. Contra omittentes solvere decimas, vel eas subtraheutes, vel impediendes imposita est excommunicatio ferenda in *cap. Si autem 16. q. 1. & in Trident. sess. 25. cap. 12. de reformat.* Deinde *ex cap. Prohibemus, de decimis,* privari debent sepultura ecclesiastica. Præterea in Clement. *cap. Cupientes, de penis* excommunicantur ipso facto regulares, qui in concionibus, vel aliis locis temerario ausu retrahunt fideles a decimarum solutione. Denique Leo X. in Concilio Lateranensi statuit, Confessarios teneri ad hortandum, & monendum fideles, ut huic obligationi decimarum satisfaciant. Nihilominus deneganda non est absolutio pauperibus, qui propter egestatem differunt solutionem, si propositum habeant satisfaciendi, si ad meliorem frugem deveniant, aut vires suppetant. Nec Parochi propria autoritate possunt denegare publice sacramenta noleantibus decimas solvere, nec eas per se ipsos a parochianis extrahere, aut violentè accipere.

176. Confessarii igitur, & concionatores moneant fideles integram decimarum solutionem, plurimaque mala ex opposita fidelitate, atque omissione sæpe obvenire. Hinc enim immitit Deus siccitates, tempestates, grandines, infirmitates, penuriam, & famem, juxta illud Malachiæ

Tom. II.

3. *Quia mihi non reddidistis decimas, & primitias; idcirco in fame, & penuria vos maledicti estis.* Econtra vero, qui decimas fideliter, integre, & cito solvit, erit benedictus a Domino, ut dicitur 2. *Paralipom. 31. & Malachiæ 3.* Ubi solventibus decimas promittitur benedictio Domini usque ad abundantiam. Consistit autem hæc benedictio abundans in sanitate animæ, & corporis, in abundantia fructuum, vita tranquilla, & longæva, ac demum in felicitate temporali, & æterna, ut egregie ait Rebuffus *q. ultima de decimis.*

## PUNCTUM IV.

*De exemptione a solvendis decimis.*

177. Quot modis possit quis eximi a decimarum solutione? R. Quatuor modis: nempe *consuetudine, præscriptione, conventionem, & privilegio.* Sicut enim hæc quatuor modis potest acquiri jus ad decimas, ita etiam tolli. Valet ergo quis eximi *consuetudine* immemorabili, seu centenaria; aut etiam quadraginta annis continuata. Unde ubi per id temporis spatium decimæ solvi non consueverunt, potest licite omitti earum solutio. Idem est dicendum de *præscriptione* cum triplici differentia. *Prima*, quod ad consuetudinem requiritur consensus communitatis expressus, & saltem tacitus Superioris; ad *præscriptionem* sufficit factum particularis personæ. *Secunda*, quod ad consuetudinem non exigitur bona fides, aut titulus, sicut ad *præscriptionem* sine titulo requiritur tempus centum annorum. *Tertia*, quod per consuetudinem acquiritur jus communitati; per *præscriptionem* privatæ etiam personæ.

178. Dices: laici nequeunt præscribere in jure decimas percipiendi: ergo neque in jure eas non solvendi. R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod jus percipiendi decimas est spirituale; jus vero eas non solvendi est temporale: utpote quedam libertas a lege, cujus capax est laicus. Ideo laici possunt præscribere circa jus non solvendi decimas; licet numquam præscribere queant circa jus eas percipiendi. *Ex cap. Causam. 7. de Præscript.*

179. Instabis: plures laici habent jus decimas percipiendi: ergo non est spiri-

tua

tuale. Resp. neg. conseq. Quia jus, quod laici habent a SS. Pontifice concessum, solum est temporale; consideratur enim abstractum a titulo spirituali. Jus vero proprium ad decimas est spirituale, ut fundatum in ministerio spirituali. Laici ergo percipiunt decimas, sicut quosdam annuos redditus ipsis concessos in remunerationem alicujus obsequii a se, vel a suis majoribus Ecclesie præstiti. Nota, quod esto ubi consuetudo adest non decimandi, possint licite non solvi; tamen Ecclesia potestatem habet ad tollendam quamcumque consuetudinem non decimandi: ut docet D. Thom. 2.2. q. 87. art. 1. & quodlib. 6. art. 10. ad 2.

180. Tertius modus, quo quis potest a solutione decimarum liberari, est per pactum, conventionem, aut transactionem. Nam sicut per conventionem inter partes legitimam valet acquiri jus decimas percipiendi; ita potest remitti, seu tolli obligatio eas solvendi. Compositio, seu conventio circa decimas jam debitas potest fieri a quolibet particulari; quilibet namque valet, quod sibi debetur remittere. Compositio inter unam, & aliam Ecclesiam fieri potest auctoritate Episcopi. Verum compositio inter clericos, & laicos in perpetuum, vel ad longum tempus, auctoritatem Pontificis ad sui valorem postulat; quia est quedam alienatio bonorum Ecclesie. Quartus modus, quo tollitur obligatio decimandi est *privilegium*, seu dispensatio Pontificis, pro quo.

181. Inq. 2. An Pontifex eximere valeat aliquos a decimarum solutione? R. sub distinctione: nam a solutione decimarum in genere, prout dicunt congruum ministrorum subventionem, nec licite, nec valide potest: quia subventio congrua ministrorum est de jure naturali, in quo nequit Pontifex dispensare absque gravi causa, quæ pro præsentibus, cum præjudicio notorio tertii; numquam occurrere potest. Supposita vero aliunde præfata subventionem, potest Pontifex dispensare in lege decimarum, valide quidem absque causa: quia sic formaliter accepta est lex mere ecclesiastica; licite vero cum causa. Numquam præsumendum est Pontificem dispensare absque causa, maxime in lege decimarum, quæ sunt patrimonium Ecclesie, ad quam regendam, & fovendam

dam agit spiritus Dei. Valet etiam Pontifex decimas, huic Ecclesie applicatas, alteri adjudicare sine injuria illius: quia semper fuerunt applicatæ dependenter a Pontificis voluntate. Hoc autem nullus Papa inferior facere potest, sicut nec in lege decimandi dispensare. Hæc Levi calamo, extremis que digitis indicamus, major enim & profusior enodatio majora volumina requirit, ad quæ recurrere debet, qui ulteriori notitia indiget.

## PUNCTUM V.

## De privilegiis regularium circa decimas.

182. Inq. 1. An regulares gaudent privilegio exemptionis decimarum? R. 1. Quod regulares, & ceteris clericis in communi viventibus exempti erant antiquitus a solutione decimarum, tum personalium, tum prædialium per privilegia inserta in corpore juris. De personalibus patet ex cap. Decimas. 16. q. 1. De prædialibus eorum nempe terrarum, quas propriis manibus, aut sumptibus colebant, constat ex cap. Multipliciter. Ubi Adrianus IV. testatur, hoc privilegium concessisse Cisterciensibus. Et Alex. III. in cap. Ex parte 10. de Decimis asserit: hujusmodi privilegium fuisse a suis prædecessoribus concessum omnibus religiosis in communi viventibus.

183. Verum Innoc. III. in cap. Nuper. eod. tit. restrinxit dicta privilegia ad prædia habita ante Concilium Lateranense celebratum anno 1215. Sed minime revocavit privilegium, quod regulares eximebat a solvendis decimis de novalibus, & hortis, quos propriis manibus excolunt, & de animalibus, quæ ad eorum subventionem nutriunt: quia in dicto cap. Nuper solum excluduntur prædia, post memoratum Concilium acquirenda, quæ antea decimas solvebant. Semper enim de istis solvendæ sunt, nisi privilegium expressam eorum faciat mentionem, & exclusionem. Igitur stando juri communi, regulares habent privilegium exemptionis a decimis de prædiis propriis sumptibus cultis, & ante Concilium acquisitis. De prædiis vero acquisitis post Concilium, ex quibus antea decimæ solvebantur, carent pri-

vile-

privilegio exemptionis in corpore juris communis. Unde si transeat ad dominium regularium, tenentur de illis solvere decimas, nisi a Sede Apostolica obtineant privilegium, expresse revocans decretum præfati cap. Nuper.

184. R. 2. Quod etiam extra jus commune laudantur plura privilegia, quæ eximunt regulares a solutione decimarum de omnibus animalibus, quæ ad propriam subventionem nutriunt, & de omnibus prædiis, etiam post dictum Concilium acquisitis, quæ propriis sumptibus excolunt. Ita concessit Eugenius IV. & Sixtus IV. Augustinianis. Martinus V. Carthusianis. Clemens VII. Monachis S. Benedicti, & Trinitariis Excalceatis. Gregorius XI. Mercenariis. Et alii aliis, quæ omitimus.

185. Inq. 2. Cur Pontifices tam varia, & ampla privilegia concesserint regularibus? R. Non prohibito, sed ex justis, & rationalibus causis ita se gessisse, volentes liberaliter remunerare obsequia a regularibus Ecclesie catholice præstita. Quoniam in primis omnibus notum est regulares esse firmissimas, prævalidasque columnas Ecclesie catholice: ut Deus patefecit Innocentio III. Santissimos Patriarchas Dominicum, & Franciscum Ecclesiam Lateranensem, jam jam collabentem suis humeris sustentantes; non quidem materialiter, & solum per seipsos, sed formaliter per se, suosque alumnos, eam defendendo, fovendo, illustrando infatigabili studio, labore, vita, sanguine etiam in ejus defensionem perfuso.

186. Hoc idem præstatum ab omni religiosa familia juxta uniuscujusque institutum, Deum assiduis precibus, orationibus, vigiliis, jejniis, perpetuo silentio, clausura, aliisque asperitatibus placando. ut Ecclesiam suam in puritate fidei conservare, augere, & ab hostibus tutare dignetur. Hac ratione Reges Hispanie Ramirus, & alii piissimi Principes plura prædia, possessiones, & privilegia concesserunt monachis, ut suis prædiis Deum placarent contra hostes fidei, & regni, agnoscendo prudentem, quod non minus Moyses debellabat hostes populi Israel orando, & levando manus ad Deum, quam milites pugnantes in castris.

187. Deinde, si decimæ debeantur ob sacramentorum administrationem, nulli-

bi poenitentium numerosior concursus, majorve sacramentorum frequentia conspicitur, sicut in Ecclesiis regularium. Denique si solvantur pro pascendo populo, & animarum directione in vitam æternam, proculdubio hæc munia cumulate præstant regulares concionibus, missionibus, consiliis, verbo, ac exemplo, præclaris etiam scriptis, librisque ab ipsis editis ad fideles instruendos, hæreticosque coercendos, redarguendos, & confutandos. Si ergo ob aliqua obsequia Ecclesie præstita, etiam laicos juste Pontifices dispensant a lege decimarum; ob tot servitia a regularibus continuo eidem Ecclesie exhibita, justissime summos Præsules eis dicta privilegia concessisse credendum est.

188. Inq. 3. An privilegia regularium de exemptione decimarum favent etiam Monialibus? R. affirm. Quia memorata privilegia extenderunt ad moniales Bonifac. VIII. & alii Pontifices. Ut cum aliis pluribus tenet Barbosa de jure Ecclesie cap. 26. §. 3. num. 36. Similiter Equites ordinum militarium, qui veri religiosi sunt, omnibus regularium privilegiis, quæ exemptionem decimarum spectant, gaudent, ut communis sententia docet. Bona vero patrimonialia, si quæ possident, decimarum legi subjiciuntur.

189. Inq. 4. Quomodo amittantur supradicta privilegia exemptionis decimarum? R. Ex triplici capite posse amitti. Primo, per compositionem, aut conventionem partium; nam partium compositio est optima sententia. ideoque consultitur, & approbatur cap. Sugestum. Ex cap. Dilecti. De decimis. Secundo, per non usum, seu usum contrarium totius ordinis: quia sicut privilegium conceditur toti ordini, ita solum per non usum totius ordinis per tempus saltem quadraginta annorum deperditur. Tertio, per notariam Ecclesie læsionem, ita ut ejus ministris non remaneret congrua subventio; quia hæc est de jure naturæ, in cuius præjudicium Pontifex, nec vult, nec valet dispensare. Si vero læsio non sit evidens ad nullum alium præter Pontificem declarare spectat, an privilegium enormiter lædat, nisi partes ad vitandas lites componi velint, quod melius reputo. Melius enim erit semper regularibus se abstinere ab omni lite circa decimas, & se componere cum Paroohis

de consensu Episcopi.

190. Inq. 5. Quis sit Judex competens super jure decimarum? R. Quod loquendo de jure spirituali solus Judex ecclesiasticus est competens: quia causa spiritualis ad solum Judicem ecclesiasticum pertinet: ergo private ad forum, & Judicem ecclesiasticum spectat declarare super jure decimarum. Nimirum ad quam Ecclesiam pertineat jus eas percipiendi? Quo titulo exigantur? Sit ne aliquis privilegiatus ab earum solutione? Maxime hoc verum est, quando inter personas utrimque ecclesiasticas lis agitur: quo in casu tam ex parte materiæ, quam ex parte personarum pertinet judicium ad forum Ecclesiasticum.

191. Si autem lis sit de mero facto, non inter personas utrimque ecclesiasticas, aut de decimis regibus, vel aliis laicis a Pontifice concessis, quæ vulgo *Tercias* nuncupantur, potest earum causa in foro laico agitari, & decidi: quia semel laicis concessæ, jam non sunt propriæ decimæ; sed quidam redditus extracti a decimis. Idem est de recurso circa decimas noyaliu ad forum laicale, quod declarare valet, dari vel non in populo consuetudinem decimandi. Ex consuetudine etiam possunt causæ decimales in judicio possessorio audiri, & definiri in foro sæculari, ut inquit Bened. XIV. in *Synod. lib. 9. cap. 9. num. 7.*

#### PUNCTUM VI.

##### De primitiis, & oblationibus.

192. Inq. 1. Quid sit primitia? R. Quod primitia, prout in præsentem, est aliqua pars de primis fructibus, quæ Deo, aut Ecclesie offertur. Omnes fere gentes, naturali lumine instructi, quidquam fructuum Deo offerre in more habuerunt, in gratiarum actionem pro fructibus acceptis. Primum hujus gratitudinis argumentum conspicitur in Cain, & Abel, qui ex primogenitis gregum, & primis terræ fructibus aliquid Deo obtulerunt. Respexit autem Dominus ad Abel, & ad munera ejus: quia prior cor suum, ac se ipsum Deo obtulit simul cum fructibus: ut plures explicant in *cap. 4. Genes.* Certum est in lege veteri fuisse præceptum positivum

primitias solvendi, ut constat Exodi 22. & alibi. Dubitatur autem, an etiam in lege nova sit tale præceptum? Ideo.

193. Inq. 2. An in lege gratia detur præceptum solvendi primitias? R. Quod licet non detur præceptum divinum; tamen datur præceptum ecclesiasticum. Constat ex *c. Decimis 1.* & alibi. Unde solvi debent, sicut decimæ, de omnibus fructibus, & animalibus, esto a Parocho non petantur: quia solvere decimas, & primitias est quanta Ecclesie præceptum. Verum quota, seu quantitas solvenda nullo canone ecclesiastico est assignata, quare vel usu communi, vel prudenti arbitrio metienda est. Similiter legitimæ locorum consuetudini standum est circa obligationem solvendi, vel de omnibus fructibus, vel tantum de aliquibus, vel Ecclesie, vel Parocho. Ubi autem ex consuetudine nulli solvuntur, nulla adest. Et in hoc sensu intelligendi sunt aliqui, negantes dari præceptum ecclesiasticum solvendi primitias.

194. Inq. 3. Quid sit oblatio? R. Quod oblatio, prout nunc accipitur, est donatio quedam rerum mobilium, aut immobilium facta Deo, Ecclesie, aut ejus ministris. Est triplex, nempe quæ fit in vita, & dicitur *inter vivos*. Alia, quæ in testamento, aut in articulo mortis relinquitur, & dicitur *causa mortis*. Et alia, quæ communiter offertur ad altare, aut ad manus Sacerdotis; & vocatur *usualis*. Hinc in Missa nuncupatur *offeritorium* illa antiphona, quæ canebatur, dum populus offerebat panem, & vinum in oblationem: de quo vid. Bened. XIV. in *Synod. lib. 5. cap. 8. n. 1. & 2.*

195. Differunt hujusmodi oblationes a sacrificio: quia hoc requirit immutationem, quam oblatio minime exigat. Differunt a decimis, & primitiis, quia istæ debentur sub gravi præcepto juxta superius exposita; oblationes vero ultroneæ sunt ex se, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 86. art. 1. Unde oblationes voluntarie donantur, nec adest in Ecclesia præceptum eas offerendi. Et esto ubi viget consuetudo eas exhibendi, animo se obligandi invecita, proculdubio obliget; nihilominus communiter, ut spontanea accipitur. Oblationes factæ sive intra, sive extra Parochiam intra suos limites, ad Parochum per-

pertinent; nisi fideles offerant eas alicui cappellæ, aut imagini pro illius cappellæ, aut altaris ornatu. Ex *cap. Quia Sacerdotes 13.*

196. Inq. 4. An oblationes factæ in Ecclesia regularium ad ipsos regulares pertineant? R. affirm. Constat ex *cap. 1. De statu Monachor.* Idem ex decreto sac. congregat. 15. *Septemb. 1629.* Item ex privilegiis concessis Cisterciensibus a Bonifacio VIII. & Prædicatoribus a Bonif. IX. Consonat his omnibus doctrina D. Th. *loc. cit. a. 2. ad 2.* Ubi assertit regulares posse accipere oblationes ex triplici capite. *Primo*, titulo paupertatis. *Secundo*, ex ministerio altaris. *Tertio*, ex officio in Ecclesiis, ubi sunt Parocho. Ex quibus inferunt plures Authores, oblationes ultroneas, quæ fiunt a sceminais puerperis, dum filios in Ecclesia regularium Deo presentant, ad regulares pertinere, ut accidit Romæ, & alibi.

197. Inq. 5. An aliqui prohibeantur ab oblationibus ad altare faciendis? R. affirm. Quia Ecclesia in odium, & abominationem pravitatis respuit in pluribus lo-

cis juris canonici oblationes hominum pravorum. Hujusmodi sunt Judæi, infideles, hæretici, excommunicati vitandi, usurarii, matricidæ, pœnitentes, pauperes opprimentes, raptores, sacrilegi, extrahentes servos ab Ecclesia, fratres disidentes, & meretrices.

198. Hi omnes quando eorum crimina sunt publica, accentur merito ab altari, & ab Ecclesia, ne in ea offerant dona. Qui recipit ad oblationem ad altare faciendam excommunicatus nominatim a Papa, incurrit excommunicationem majorem: Ex *cap. Significavit 18. de sentent. excommun.* Similiter recipiens excommunicatos, aut interdictos vitandos ad oblationes inter Missarum solemnias, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesie. Ex *cap. Episcopo, de privileg. in 6.* Quando prædictæ oblationes ad altare fiunt, non patena, sed imago sacra, aut crux offerentibus ad osculum præbenda est. Plures manum porrigunt osculandam: sed non approbationem ibi simile osculum, ne transeat ad suavium.

## TRACTATUS TRIGESIMUS SEXTUS

### DE CENSURIS.

Censura est gladius, & poena ad coercendos præceptis Ecclesie rebelles, unde supposita notitia de præceptis, ad explorandas censuras opportune progredimur cum D. Thom. *supplem. q. 20. & seq.*

#### CAPUT I.

##### De censuris in communi.

#### PUNCTUM I.

##### Notio censura.

1. Inq. 1. Quid sit censura? R. Nomen censurae tripliciter accipi posse. *Primo*, pro quovis judicio de aliqua re, ut quando datur censura de aliquo libro. *Secundo* sumitur pro officio; olim enim apud Romanos, qui officio puniendi, & corrigendi gaudebat, ut aliquando Cato, *Censor*

dicebatur. *Tertio* accipitur pro ipsa sententia punitiva. Unde Juvenalis *satyr. 2.* notans Junonis injustitiam dixit: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas:* Hæc autem sententia, seu punitio potest active, & passive sumi. Active est inflicto poenæ ex parte Judicis: passive vero ipsa poena reo inflicta. Et in hoc sensu accipitur nomen censurae ecclesiasticæ, & definitur *Pœna Ecclesiastica fori exterioris, qua fidelis baptizatus privatur usu aliquorum bonorum spiritualium, ut a contumacia dicat.*

2. Dicitur *pœna*, quia requirit, & supponit culpam, qua deficiente, nulla est censura. Additur *ecclesiastica*, quia a solo Judice ecclesiastico infligi valet. *Fori exterioris*, quia tantum potest imponi ab habente jurisdictionem in foro contentioso. *Qua fidelis baptizatus*, quia censura solum potest ferri in subditos, & non baptizati